



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Hieronymi Dandini Cæsenatis E Societate Iesv De Corpore
Animato Lib. VII.**

Dandini, Girolamo

Parisiis, 1611

Digr. 12. De somniis, ad tex. com. 50.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95641)

operetur. Ex hoc enim ipso facile erat colligere, in tellectum nō formare sibi neque fingere obiectū, sed de oblato ac proposito iudicare, illique assentire, aut ab eo dissentire: phantasiā contrā non indicare de oblato, neque assentire aut dissentire, sed id solum fingere, quod alio actu cognosci, aestimari, ac iudicari debeat. Non esse inquam ipsam veri cognitricem, sed typorum & simulacrorum formatricem; & ita formatricem, vt ea ex seipsa promat: & ideo sepe addat & minuat, componat & pluribus modis illa mutet, quæ oblata fuerunt à sensu. Denique eandem Platonis fuisse sententiam ex sophista cognosces: in quo dialogo phantasiā non semel ait simulacrorum effectricem esse.

TEXTVS.

Ὅτι μὲν οὐκ ἔστι αἰσθησις ἡ φαντασία, εἴλογον ἐκ τῶν ἀποδείξεων μὲν γὰρ ἡ τοῦ διαμαρτυροῦ, ἡ ἐκ τῆς ἀποδείξεως ἡ ἐκ τῆς ἀποδείξεως ἡ ἐκ τῆς ἀποδείξεως.

Text. 156. Ergo phantasiā sensum esse, ex his apertum. Sensus enim aut potestas aut actus, seu visus & visio. At vel horum neutro existente apparet aliquid; vt ea, que in somnijs.

COMMENTARIVS L.

A Commemoratis facultatibus seu habitibus phantasiā distincturus; tum à singulis diuersam eam esse probat; tum ab omnibus simul. Primum enim eam non esse vllum eorum; deinde neque ex illis compositam; certis rationibus concludit.

De singulis porro loquēs à sensu principiū facit. Tum quia is sua natura prior est, atque antecedit intellectu, cuius reliqui habitus sunt. Tum quia eum facultatē & habitū nominasset, prior habitu facultas est. Sensus autem facultas existit, reliqui habitus. Tum verò ne in longum magis protraheret superiorem illam propositionem tex. 153, qua ostendendum proposuit, eam à sensu & diuina diuersam esse. Quare cum à diuina differre docuerit, voluit etiam ostendere illam à sensu discrepare.

Diuersitatem autem ac discrepantiam compluribus argumentis demonstrat. Primum illud est. Sensus duobus modis nominatur: aut enim facultatem significat & virtutem animæ; qua sentire potest, nec tamen quidquam sentit; vt eum aspectum dicimus aut auditum: aut sensationis & operationis actum à facultate illa profectum; vt visionem auditionemque. Aut inquam pro actu primo ad operandum & secundum actum promendum idoneo; aut pro actu secundo operationis, quæ ab illo proficiscitur. Quam distinctionem vt notam ac manifestam accipit, & verò etiam explicatam in tex. 53, libri secundi & sepius deinceps in tex. 158, 159, 141, & 142, huius tertij usurpatam. At phantasia neutro modo appellari sensus potest: sensus igitur non est. Assumptionem confirmat ex somnijs. Namque

Phantasiā à sensu diuersam esse.

A dormientibus nobis & somniantibus apparent multa per phantasiā (hoc enim significat grecum verbum *phantasia*) ac sensus, qui potestare dicitur, vt nihil operatur, ita nihil percipit, nullum videt visum, nihil illi apparet. Sensus autem actu tunc nullus est. Tum quia nullum est obiectum præsens; quod sanè adesse oportet, vt sensus in actum prodeat. Tum quia cessant omnes, ligatique quiescunt. Siquidem hoc somnus est; cessatio & impedimentum sensuum omnium, quorum functio vigilia erat. Quoniam si in somno essent actu, nequaquam dormiremus, sed vigilaremus: non dormiremus, neque imaginaremur, sed præsentia intueremur obiecta.

B Neque igitur potestare, neque actu sensum phantasiā appelles: sed virtutem aliam, quæ omni cessante & impedito sensu nihilominus operetur. Diuisionem hanc sensus in eum, qui potestare, & eum, qui actu dicitur; propterea accepit hoc loco Philosophus, vt generale omnino probationem faceret, atque à sensu phantasiā omni ex parte distingueret; neutro modo sensum eam esse demonstrans. Verum vbi nos addidit neutro existente somniantes, id non ita intelligas, vt sensus vterque, tum actu, tum potestare, ab animali ablit. Nunquā enim, si actus delit, abesse is potest, qui potestare dicitur; & in somnijs quoque adest, at non operatur nec agendi vnquam virtus ab animali separatur. Sed iam ita accipias, vt verè Simplicius exposuit, neutrum phantasijs, quæ per somnium apparent, inesse. Non sensum actu, quia is tunc nullus est. Neque eū, qui potestare nominatur; quoniam hic est animalis adit, nihil tamen agit. Quare cum somniorum visa & phantasmata, que ante nobis eo tempore insunt, neutro modo à sensu esse queant, sanè & operatur phantasia, etiam inter illorum ipsi insit. Vno verbo argumentationem totam cum Themistio colligam. In somnijs imaginamur, in somnijs non sentimus: phantasia igitur seu imaginatio sensus non est.

Digestio XII. De somnijs.

S omnium interioris sensus, non alterius facultatis affectionem esse, in libro de somnijs docetur pluribus. Eiusdem namque somnium est, cuius & somnus. At somnus illius est, quæ *ἀνομιαν* est, somnium autem, quæ *εὐνομία*. Nunc tanquam ex phantasiæ definitione iam phantasia manifestam accipitur. Si enim somnium visum quoddam est & phantasma, quod occurrit dormientibus, illius sanè facultatis fuerit, quæ phantasmata in nobis fieri dicimus; hancque phantasiā esse, & appellatio ipsa testatur, & proposita definitio confirmat. Deinde vt ostensum est operationem sensus non esse, ita eorum est intellectus non esse, quoniam in bestijs quoque inest. Sola igitur superest phantasia, velut inter sensum & intellectum media, hominique cum bestijs communis. Etenim dormientibus ligantur sensus, tum exteriores & particulares, tum interior & communis ille, qui non operantibus illis sentire non potest. Sic autem interterdum, vt reliquæ ite facultates & operationes ligentur cessanteque, phantasia, aestimatio, memoria, intellectus, si somnus profundus fuerit & placidus.

aus. Nonnunquam verò soluitur phantasia, tuncque accidunt somnia, operante circa phantasmata phantasia. Soluitur etiam interdum astringitur vis, dum de amicis aut inimicis somniamus: aut intellectus, si somnians disputemus aut componamus carmina, aut somniamus nos cognoscimus. Denique in leui & imperfecto somno, qui inter vigiliam & somnum sit potius medius, soluitur interdum nonnihil exteriores sensus; quemadmodum cum loquimur, & interrogati respondemus.

Omnino ut somniet phantasia saltem solui oportet. Ea soluta propterea somniamus nos arbitrantur illi, qui species intentionales ponunt; quod hæc in vigilia sensibus hausta, in interiori conferuntur sensui, solutaque inter dormiendum phantasia circa illas operetur, obiecta illarum nobis representando modisque miris componendo. Quid ego de toto harum specierum genere sentiam, iam pridem exposui, sapientique deinceps admonui; ac rursus interiori sensui minimè necessarias esse post seorsum vniuersè demonstrabo. Iam accipiam id potius, quod in libro de Diuinatione per somnum cap. 1. habet Philosophus, vehementiorè omnino phantasia esse in somno, quam in vigilia; eoque tempore vel minimum motum videri maximum. Cuius rei quadruplicem causam reperi, tum eo loco significatam, tum in cap. 3. libri de somnijs.

Prima est, quoniam reliquis in vigilia sensibus operantibus magnopere distrahitur & imbecillior ad imaginandum sit phantasia: in somno cessant illi omnes, sola hæc viget & dominatur. Quæ circa & spiritus exteriora deserens sensoria vitus magis est & collectus præsto est phantasia; atque animæ virtus ad imaginandum incumbit tota; plurimumque imaginari potest; tum mera formando phantasmata, tum ea miris modis componendo. Quid sit phantasia, non multò antea dictum est. Actionem enim phantasia significat. Aut si maus dicere phantasmata obiecta, eorūque simulacra phantasia actione formata.

Quod si vel leuissimus motus quispiam accedat in corpore, aut sensus non soluitur, altera hæc est causa, quæ phantasia ad maxima quæuis imaginanda excitat. Si per guttur defluat pituita, edere te mel propter suauem motum, quo delinitur guttur: si quæ corporis pars paulo magis calefaciat, in igne te versari, si sitias, fontes, si phlegma abundet, aquas, si cholera, ignem, cædes & similia, si sanguis, risus & iucunda, si melancholia, tristitia quæuis somnias. Nec accidit raro, ut vel leuiter tactus aut strepitum quempiam subaudiens, inimicos illicò imaginis adesse, & clamare incipias eniglas, accipias arma, seriosque omnibus minteris. Quæ sanè non ad conseruatas species referri possunt, sed ad magnam phantasia vim eo tempore præsertim prouocata pertinent. Arbitrantur, inquit Philosophus, fulgura cadere & tonitrua fieri, cum parvus sonus in auribus sit, mellesque ac dulcibus saporibus perstrui, minima defluente pituita, & ambulante per ignem & calefieri vehementer, cum paruus calor circa quasdam partes sit.

Tertia causa est vehemens vaporum motus in spiritu inter dormiendum factus. Turbulentum enim & agitato spiritu vel minimum quiduis

videtur esse maximum. Atmatus quilibet timenti esse inimicus videbitur, cupientque videre amicum, in quemcunque incidat, amicum esse putat, quoque maior affectio fuerit, eo imaginatio facilior. Quoniam spiritus est ferè ut aqua. Quemadmodum enim tranquilla & quiescens aqua rem vnamquamque ut est representat; commota verò & agitata maiorem multò ostendit: ita spiritus à vehementi vapore commotus efficit, ut phantasia maiora omnia videantur. Quod turbatus ipse & agitarus turbet quoque & agitet phantasia, quæ maius propterea aliquid imaginatur. Si profundus igitur fuerit somnus tantaque vaporum copia, ut non communis modò sensus, sed phantasia ligetur, somniamus nihil. At si natiui caloris vi dissoluantur sensim vapores, primaque omnium libera sit phantasia; spiritu ad eam accedente, illicò mira imaginari potest. Tum pro ratione spiritus, quo operatur: tum pro ratione dispositionis humorum in corpore omniumque illius partium qualitate: tum verò ex propria operandi virtute, quæ absentia quoque & quæ amplius non sunt, si semel fuerint simul cum exterioribus sensibus ab interiori cognita, imaginari potest ac velut sibi præsentia sistere. Omnino sunt, qui cum Synefio fabulas ab infomnijs licentiam & copiam accepisse putent.

Quarta & postrema causa est, quod à diuinis inchoationibus, ut Philosophi utar verbis, præparatus sit motus. De ijs namque somniamus crebrò, quæ inter vigilandum tractauimus. Quod dum ea exteriores afficiunt sensus, afficiunt & interiorem, qui cum exterioribus operatur: hæc exterioribus hauriuntur sensibus, hauriuntur & interiori: motusque in vigilia factus præparatio est, dispositio, & inchoatio eius, qui dormiendo fiet: plura siquidem & maiora tum fingendo, tum componendo addet phantasia.

Pluribus hoc Philosophus expressè explicat, quibus nolim specierum intentionalium assertores abuti. Primum est projectorum corporum, quæ eo, quod primum mouit, non tangente mouentur. Quoniam quod mouit, mouit aërem quandam; & rursus hic commouetur, mouetque alium. Ita sanè. Moto namque exteriori sensu mouetur interior, qui cum eo simul operatur; cessanteque illo potest hic adhuc operari: & ut aër posterior motus proiectum impellit ulterius, ita obiectum ab exteriori antea cognitum adhuc cognoscit interior, exteriorisque cognitioni addit. Alterum alterationis, qua quod calefactum est à calido, proximum corpus calefacit, eodem spectat, ut exteriori sensum ab obiecto motum in vigilia interiorè quoque mouere doceat, qui ab hoc motus vi deinceps sua operabitur. Tertium aspectus qui si vehemens obiectum intritus fuerit, etsi ab eo amoueat, idem tamen sibi videtur, quod in eo idè motus remaneat: nil ostendit aliud, quam remotis exterioribus obiectis illorum imagines interiori obuerfari sensui, quod hic iam à præsentibus permotus ab absentibus quoque permoueri possit. Eadem est vis quarti, quod ex ijs sumptum est, qui per rapacem fluium transferunt, quibus cum ad terram venerint moueri omnia videntur.

*Somnia
quid.*

Hoc igitur fuerit id, quod idem Philosophus dixit præparatum fuisse imaginandi ac somnandi motum à diurnis inchoationibus, hæcque tota somniorum ratio. Nihil enim aliud fuerit somnium, quam phantasma visioe absentis rei aut non veræ, tanquam præsentis & veræ. Et ideo phantasia quævis cognitio, quæ habetur in somno, somnium est: ac plerumque habet errorem, dum id offertur vt verum & præsens, quod absens aut nullo modo est neque futurum est. Operatio autem cogitatioe aut intellectus, quæ inter somnandum habetur interdum, si per se spectetur, somnium non est; quod facultatis alterius, non phantasiae, actio sit, coniuncta tamen cum somnio.

*Somnus
& somnium
differat.*

Somnus porro & somnium eiusdem quidem re facultatis sunt; quoniam sensitivum & imaginativum, communis sensus & imaginatio, sunt idem re. At cum somnus cessationem & quietem, somnium operationem significant; ille ligatam, hoc solutam facultatem postulet; eiusdem facultatis eodem considerata modo esse non possunt. Ergo utrumque interioris sensus affectio est; sed somnus quæ sensitivum est communis sensus nominatur atque cum exterioribus sensibus operatur; somnium quæ phantasiae cum phantasiaeque dicitur, & cessantibus exterioribus sensibus operari potest.

*Qui
magis
visus
somnia*

Hinc est quod qui plurimum humoris habent, minus somniant; quod nimium ligentur sensus & phantasia quoque impediatur. Quæ circa somniant minus pueri, magisque profundo ac placido fruuntur somno. Cibique soporiferi propter multum & crassum vaporem aut impediunt somnia aut turbulentiora faciunt. Initio somni non illis impedimentis absolvitur. Non tamen interea deserit animal, inquit Synesius; sed ex specula inferiora circumspicit multo plenius, quam si cum deterioribus sit commixtus. Totum etiam ætrem immortales animis, hoc est demonibus, qui res humanas curent, plenum esse: ad quos animus noster in somno egressus tanquam ad sui similes, de futuris ab illis instruitur: Deoque demum ipsos cum dormientibus secreto quodam modo colloqui. Propterea lætis manibus diuinis laudibus celebratis dare se somno oportere.

*Qua
maxime
somnia*

Ea verò somniamus sæpius, quibus sæpius firmius interior facultas dum vigilaremus adhesit. Facilius enim hæc inter dormiendum formantur. Aut ea, ad quæ naturalis temperies corporisque & humorum constitutio inclinatur. Vt ex somniis de corporis statu iudicandum esse medici sapienter moneant. Sed vniuersè magis hæc de re differendum est.

*De di-
uinatione
neper so-
nium.*

Fuit enim peruetus quæstio & ab Aristotele quoque accuratè tractata, Num ex somniis liceat ea, quæ euentura sint nobis, diuinare. Epicurus, Metrodorus, Xenophanes, pluresque antiqui Philosophi nullam somniis fidem habendam esse iudicauerunt; cum ex rerum in vigilia perceptarum simulachris temerè animum in somno pulsantibus fiant. Velut enim talorum iactu, inquit Cicero in 2. lib. de Diuinat: talis sapius iactis optatus tandem efficitur numerus; ita casu interdum exploribus somniis id, quod som-

niamus, euenit. Sunt autem vti sanctorum vita, quibus fides habetur nulla.

Contra Orpheus, Pythagoras, Chrysiptus, Aristipater, Plato, & omnino Stoici atque Academici plurimum semper illis tribuerunt; tanquam rerum futurarum indicij à Deo profectis. Mercurius per somnium loquentem audire Pimandrum: & in capite duodecimo eius libri Deum dixit homini nocte congressi per somnia, die crebrius per portenta, quibus omnia illi futura prænuunt. Et Socratem somnio permotum fuisse ad Platonem puerum in discipulum assumendum Apuleius testatur. Immo Pythagoricos sequutos Hæbaros hocolum diuinationum genus verum esse iudicasse. Io. Damas: lib. 21. de fide orthodoxa cap. 19. & Nemesius lib. 4. sue Philosophiæ cap. 6. referunt. Nam & Philo Iudeus in lib. de somniis omnia somnia à Deo esse contendit. Propterea moderato victu præparari nos ad certiora somnia percipienda veteres illi iubebant; tenuisque cæna vti, quod vberioribus cibis in somno rationem occupet, ne superiores influxus perferant liberè; vt in 9. de Rep. dixit Plato, & in viimo problem: sect. 30. Aristoteles confirmauit. Eandem ob causam saporum esum prohibuisse Pythagoram opinantur non pauci;

quod nimium is cibus in se ventrem mentemque perturbet, ac pura & sincera impediatur somnia. Animum enim nostrum, inquietant Stoici atque Platonici, futurorum omnium esse cognitionem habere; ac corporis opprobrium mole diuersisque imaginibus in vigilia susceptis perturbatum intueri ea non posse: posse in somno, quo ab illis impedimentis absolvitur. Non tamen interea deserit animal, inquit Synesius; sed ex specula inferiora circumspicit multo plenius, quam si cum deterioribus sit commixtus. Totum etiam ætrem immortales animis, hoc est demonibus, qui res humanas curent, plenum esse: ad quos animus noster in somno egressus tanquam ad sui similes, de futuris ab illis instruitur: Deoque demum ipsos cum dormientibus secreto quodam modo colloqui. Propterea lætis manibus diuinis laudibus celebratis dare se somno oportere.

De Aristotele alij aliter sensere. Sed omnino is ostendit non omnia somnia immitti à Deo. Tum quod cætera animalia somniant. Tum quia quibuslibet vel pessimis hominibus eò iungat. Quippe, vt verbis vtat Synesius, somnium videt tam qui paruum, quam qui magnum possidet centum, & qui victus extreme tate laborat: videt speculatore pariter atque mercenarius; nec cuius aliter quam peregrinus; nihilque differt bubulus mancipiumque & insanus à cæteris. Sanè Homerus Illiados 2. somnium dixit esse à Ioue: Atin Odyssæe T. ex quo Virgilius transtulit in Ientum Aeneid: duas finxit somniorum portas; eorumque vnâ, eburneam alteram; somniaque per priorè portâ immissa dixit esse vera; falsâ, quæ per posteriorem. Ratio extat apud Tertullianum in libro de anima cap. de somniis. Respicere namque ait est per cornu, ebur autem cæcum est. Quod et si ob sapientiarum somniorum defectum

ficere, & mentiri non potest. Quod si dubites, num à Deo, an à Dæmone immulsum sit somnium; adhibende sunt precès & orandus Deus, virique prudentes & periti consulendi; ac demum agenda cætera, quæ ad mentis illuminationem pertinent: quemadmodum in epistola S. Luciani Presbyteri factum ab ipso legimus in reliquiis sancti Stephani. Atque hæc nobis est, tum de somniis, tum de ea, quæ per somnium est, diuinatione sententia.

TEXTVS.

Εἰ τὸ αἰσθητικὸν ἴδιον ἀεὶ παρῶσι, φαντασίᾳ δ' ὄχι.

Deinde sensus quidem semper adest, phantasia verò nequaquam.

COMMENTARIUS LI.

Altero argumento demonstrat, non esse idē phantasiā & sensum. Sensus, inquit, semper adest; phantasia non semper; phantasia igitur à sensu diuersa est. Sensus adest semper, interpretatur Aueroës præsentē obiecto semper sentire: phantasiā non semper, sed sæpè etiam eo absente. Sane ita fortasse res habet: hocque ipsum inter sensum & phantasiā interest; quod ille non nisi circa præsentia operatur, hæc tum circa præsentia simul cum sensu, tum sine eo circa absentia. Tamen si ne id quidem omnino verum esse videtur, nec vnquam phantasia rei præsentis esse. Siquidem ea ad res externas nunquam protenditur: nec rei præsentis est; sed imaginis, quam intra seipsam format: etsi præsentis interdum videatur, quod simul cum sensu præsens obiectum percipiente operetur.

Philosophi autem verba nullo modo eam sententiam continent: sed sensum omni tempore & per totam vitam atque in omni ætate operari posse. Vel etiam animalia statim in lucem edita occurrantia sentiunt obiecta; recensque nati pueruli lugent circumiecti aëris non consuetum frigus per sentientes. Phantasiā autē non semper nec omni tempore. Idcirco enim infantes, inquit Philoponus, cuiusuis māmillas principio sugunt; neque cuiusuis modò mulieris, sed & animalis; postea verò solius matris. Et vt in tex. 5. libri primi Physic. legimus, omnes viros primū patres appellant, & feminas matres. Quod phantasia nondum vtantur neque maternæ māmilla aut proprij patris vel matris typū & phantasmatis formauerint. Pulchrè autem Simplicius rationem ex eo deducit, quod vt pluribus post declarabitur, phantasia motus est factus à sensu actu; sensūque operari oportet, & quidem sæpius, antequam imaginum ac phantasmatum formatione alluescat planè phantasia. Neque enim māmilla formam atque imaginem formauerint sibi vnquā, nisi eam prius viderint, contrectauerint, osculoque ac labelis admotis gustauerint. Neque matris māmilla proprium in anima typū effingent; quia illius antea sæpius sensū acceperint. Præsertim cum ob corporis imperfectionē & organorum ineptitudinem, ruditatem,

Infantes
sensus
phantasia
non sunt
sensu
viti.

D. D. D. D. D.

minulque temperatam illius ætatis conditionem, tum sensum, tum phantasiā minus perfecta & exacta sit operatio. Neque Philosophum obiciat quisquam hac argumentatione phantasiā actu à sensu potestate diuersam esse probare: neque hanc probationem vitio carere, aut ad rem certè non esse. Nam occurrendum est, nequam illius hanc probationem esse: sed phantasiā ostēdi facultatē esse à sensu diuersam. Quoniam sensus quouis tempore & semper omnique ætate deduci ad actum potest, reque ipsa sentit statim atque sensibile obiectum occurrit: phantasia non potest; sed aliquod antecedit tempus oportet, quo sensus operetur; vt mox operari quoque phantasia possit. Quod si eadem facultas esset, vt sensus illico sit actu, sic & fieret phantasia.

TEXTVS.

Εἰ δὲ τὴν ἐπιτηδεύειαν τὸ αἰσθητικὸν μᾶλλον ἀπὸ τῆς φαντασίας ἔχει, ὁμοίως δὲ τὸ αἰσθητικὸν τὴν φαντασίαν ἔχει, ὁμοίως δὲ τὸ αἰσθητικὸν τὴν φαντασίαν ἔχει.

Si verò actu idem, omnibus sanè bestijs phantasia inesse contingeret. Videretur autem non: velut formica, aut apis, aut vermi.

COMMENTARIUS LII.

Hoc sanè tertium est argumentum. Sed quoniam prima illa verba (ὅτι τὸ αἰσθητικὸν τὸ αἰσθητικὸν) duobus modis accipi queunt (nihil enim ad rem Albertus (τῆ ἐπιτηδεύειαν) interpretatus est significare (essentialiter; cum certum sit actum secundum & operationem vbique præ se ferre). Aut ita, vt ad sensum solum; aut ita, vt & ad sensum, & ad phantasiā referantur. Altero modo sententia fuerit; si phantasia idem esset cum sensu actu. Altero autem, si sensus & phantasia idem actu essent. Priorem sententiam sequutus S. Thomas vniuersam philosophi probationem tripartitò diuisit. Vt primū phantasiā non esse sensum ostenderit, siue is potestate, siue actu consideretur. Deinde hæc duo, quæ argumentatione vnica complexus fuerat, seorsim & per partes confirmans, argumento altero eam consecerit sensum potestate non esse. Iam tertio demonstrat non esse sensum actu.

Posteriorem tamen vt potiore amplexi sunt Interpretes Græci. Hæcque omnes argumentationes generales esse censuerunt, vniuersè probantes phantasiā sensum non esse. Quæ igitur hanc proximè antecessit, deducta fuit ex tempore: tertia hæc petitur ex subiecto. Illa diuersam à sensu phantasiā esse affirmat; quoniam nec semper nec omni tempore adest, vt sensus. Hæc id ipsum propterea asserit, quod vt sensus animalibus inest cunctis, neque vllum est, quod sensum careat; siquidem animal per sensum primò animal est: sic phantasia quoque inest: at quibusdam non videtur inesse: idem igitur non sunt. Neque verò hanc solū, sed omnino tres argumentationes ex actionibus ad facultates determinandas adduci Simplicius voluit: tum vltimo modo ex effectu causam & ex notioribus ignotiora inuestigando: tum quia facultates potissimum,

mum, vt ex actionibus circa obiecta consti-
tuuntur, sic ex illis cognoscuntur & distinguuntur. Etenim si sensus & phantasia actione iorent atque operatione idē; hoc est si visio exterioris obiecti sensatione, & interior phantasmatis atque imaginis illius effectio ac formatio idem prout essent; non perfectioribus solum animalibus, vt homini, equo, cani, aliique pluribus, phantasia inesset atque phantasmatum hæc & imaginum formatio: verum omnibus planè vel imperfectissimis. At non ita res habet. Non sunt igitur idem sensus phantasmatisque cōprehensio. Quod si hæc actiones non sunt eadem, neque sensus & phantasia facultas eadem fuerit: sed à quibus phantasia abest operatio, abest & phantasia, solumque aderit sensus.

Huiusmodi loci fauet magnopere, immò persimilis est sententia tex. 32. libri 2. qua trium animalium genera separauit; quædam, quæ diuina & ratiocinatione valent: Alia, quæ ne phantasmam quidem habeant: Alia demum, quæ hac sola, non diuina aut ratiocinatione, viuunt. Primi generis homo solus est: Alterius equus, canis, & alia multa: In tertio formicæ, apes, & vermes nunc collocantur. Verum duas ob causas non parum hoc difficultatem habet. Primum quia in eiuſdem superioris libri tex. 10. scriptum est: quæcumque sensum habent phantasmam quoque habere. Deinde quoniam formicæ suas norunt cavernulas, certaque illas semper & constanti via subinde repetunt, & grana in horreum futura hyemi protidentes comportant. Apes ad suos redeunt alueos, fauos extruunt, atque ad locum floribus constitutum procul adtolant, illorum scilicet phantasia deductæ. Et hæc quidem addubitari atque obici possunt. Cæterum quæ pugnare videntur Aristotelis loca, facile conciliantur.

Quibuscunque enim sensus inest, inest & imperfecta aliqua, rudis, indeterminata & inchoata phantasia: qua animalia cuncta, dum exteriora obiecta præsentia sentiunt, interius quoque vt cumque imaginantur. At ea, quæ perfecta sit, determinata, & distincta; qua rerum absentium formantur imagines, reſque singulæ cum singulis suis particularibus & propriis conditionibus comprehendantur: non in omnibus sanè viger, nec vbique comitatur sensum. Sed perfectiorum duntaxat animalium existit propria, certamque & in capite constitutum habet organum. Huiusmodi phantasia formicis, apibus, vermibus inesse negat Philoſophus. De vermibus confirmant ferè interpretes: atque ex incerto, vago, errabundoque motu satis colligitur. De reliquis Auerroës & Albertus eas planè imaginari allerunt, fauerèque videntur Alexander ac Themistius: dum alter non illas, sed ostracea & vermes nominat: alter formicis fortasse & apibus phantasmam ait fuisse concessam, negatam vermibus. Neque enim exempla, inquit Auerroës, quæ à Philoſopho proponuntur, curanda magnopere sunt; nec in illis quaerenda veritas, sed explicatio, vt ipsemet loquitur in commentario 67. superioris expositionis. Albertus autem Latinum codicem mendosum atque ab interprete vitiatum causatur. Minimè vera exulatio, nec perſugium tutum. Quippè in omnibus Græcis co-

A dicibus tantumdem legimus, legeruntque expositores Græci; qui certè integros & incorruptos codices habuerunt. Ergo perfectam & distinctam phantasmam, de qua nunc sermo, animalibus hisce verè negabimus: quæ naturali potius instinctu atque à præſenti sensu permota operatur; quàm quòd aliquid illis per phantasmam appareat. Dum enim in continua exercitatione versantur, quasi circa præſens operantur; quandamque loci & viæ tanquam præſentis phantasmam simul cum sensu habent. Quæ si aliquandiu impedirentur, phantasmam proſus omnem amitterent.

Eadem Philoſopho Simpliciòque sententia. Philoſophus namque memoratricem solum; non eam, quæ doceri possit, animalibus hisce concedit. Simplicius autem non vilius rei determinatam ac distinctam, sed communem quandam & indeterminatam; qua apes nutrimentum quidem, quod in illa est conuale, apprehendant. At non hunc aut illum particularem ac determinatum florem. Eodemque modo formicæ. Ac demum Themistius quoque in cap. 68. huius libri, & Auerroës commentario 20. libri 2. imperfectam in omnibus, perfectam in solis perfectioribus agnouerunt. Neque hæc ego dubito veram huius loci expositionem esse. Ipsemet namque Aristoteles ita post exponet in tex. 56. vbi duplicem hanc phantasmam distinguet; determinatam vnã, alteram indeterminatam; illam perfectiorum animalium propriam, hanc omnibus communem. Eamque ob causam non absolute nunc formicis, apibus, & vermibus phantasmam inesse negat; sed videri ait non inesse: quòd imperfecta inſit, indeterminata, exilis, obscura, confusa; non exquisita, distincta, determinata, perfecta.

Hinc verò non minùs deducitur phantasmam à sensu diuersam esse. Quoniam sensus vbique & in omnibus distinctè atque in indiuiduo, obiecta sua comprehendit. Phantasmam autem perfectam, de qua nunc agitur, ex eo constat diuersam esse, quòd non omnibus inest. Quòd si perfecta sit diuersa, erit & imperfecta; siquidem perfectum & imperfectum rationis eiuſdem ac speciei sunt.

TEXTVS.

Ἐν τῷ αὐτῷ ἀναδεδῶσται, αὐτῷ ὁ ἀναδεδῶσται ἀναδεδῶσται ἀναδεδῶσται.

Præterea hi quidem veri semper, phantasia autem sunt plerumque fa-

11c.

COMMENTARIVS LIII.

Q uartum argumentum hoc ex actionibus petitum est. Sensus operatio semper est vera, nunquam aut vix falsa; si aduerſint ea, quæ adesse oportet; proprium obiectum, nec nimis distictum, nec plus æquo propinquum; sensorium benè affectum, facultatque attentata, medium denique opportunum neque alienis corporibus permistum. At phantasia magna ex parte sunt falsa: & plerumque sensum quàm res habeat: imaginamur. Vel aliter, vt Philoſopho placuit:

Sensus semper verus.

Non phantasia cunctis animalibus inest.

sensus non est nisi eorum, quæ sunt; nec nisi præsentia & existentia obiecta percipit: phantasia ut absentia quoque fingere sibi potest, sic ea persæpè, quæ non sunt, apprehendit. Quò sit, ut sensus semper sit verus, phantasia persæpè falsa. Phantasia igitur sensus non est.

Phantasias hoc loco, quo ex operationibus argumentatur, phantasia sanè operationes appellat. Neque enim facultas ipsa sentiendi aut imaginandi vera est aut falsa: sed illarum actiones, quæ rebus comprehensis consentaneæ sunt, aut dissentaneæ. Ex quo rursum intelligas id, quod antea monui; phantasmata non formas ab obiectis impressas, sed phantasie actiones velut imagines & simulachra obiectorum, ab ea formata significare. Namque has ipsas actiones phantasias appellat, hoc est phantasmata & imagines phantasie apparentes: quæ veræ sunt aut falsæ, ut rebus conformes aut non conformes existunt. Quemadmodum & imagines, quæ à pictoribus pinguntur. Formæ ab obiectis impressæ (si modo imprimantur vllæ) veræ semper sunt, falsæ nunquam: quia similes semper obiectis sunt, à quibus imprimuntur.

Phantasia quid.

Hic etiam ab ipsomet Philosopho explicatum obseruabis, quo intellectu paulò ante dixerit; phantasiam esse vnam ex illis facultatibus, quibus verum aut falsum percipimus. Siue inquam affirmando aut negando; ut in compositione quæ sit ab intellectu: siue comprehensione simplici rebus ipsis congruente aut non congruente. Atque hoc posteriori modo sensus semper verus dicitur, phantasia interdum vera, interdum falsa. Sic enim ens fictum falsum esse dicimus.

Cum phantasia sapit falsa.

Cum autem sensus semper sit verus, phantasia persæpè falsa; paucis verbis Simplicius docuit, eam esse illius angustiam, huiusque indeterminatam incitationem. Res erit apertior, si sensum idèò verum dixeris, quòd ea solùm, quæ sunt, & præsentia atque propinqua sunt cognoscat: phantasiam falsam persæpè, quòd remota quoque absentia, & ea, quæ non sunt, percipiat. Dùm enim ea, quæ aliquando præsentia percipit, remota & absentia comprehendit; propter rerum mutabilitatem & inconstantiam falsò persæpè comprehendit; quòd res alio, quàm antea, modo se habeant. Deinde ex nimia fingendi licentia, vel etiam ea, quæ non sunt, plurimus error obuenit. Postremò ex circumstantiis multis & conditionibus rerum singularum propriis: quas omnes referre simul difficile, aliquam præmittere aut mutare, facillimum est.

TEXTVS.

Ἐπιτὴν ἐδελήρησθαι ὅταν ἀνεγὼ ἰδοὺ ἀκριβῶς μετὰ τὸ ἀδιδόν, ὅτι φαντασία ἴσται τὸ ἀδιδόντος. ἀλλὰ ἀμύλλου, ὅταν μὴ ἀνεγὼς ἀδιδονάμεθα, τότε ἢ ἀκρίβης, ἢ ἁευδῆς.

Neque verò cum exactè circa sensile operamur, dicimus apparere nobis hoc esse hominem. Sed potius cum non manifestè sentimus, tunc aut verus, aut falsus.

COMMENTARIVS LIV.

Phantasiam

Hæc verba quintum continent argumentum. Quòd ex illis, quæ cum Simplicio dixi ex

A actionibus duci, tertium est. Cum sensus accuratè & exactè operatur, propositumque apprehendit obiectum, ac certus est illud esse tale; nequaquam id dicimus nobis apparere, nisi ille illud imaginari. Nam si præsentem habeam Socratem, atque illum oculis optimè cernam, Socratemque esse cognoscam: non dicam, Videor mihi aut imaginor Socratem me videre. Sed affirmabo constanter, Socratem esse. Contra verò ita prorsus loquar, si procul aspexerim, nec satis clarè ac distinctè Socratem esse didicauero. Tuncque ut verum dicam aut falsum; & erit interdum verum, Socratem esse, interdum falsum. Qualis sanè operatio est phantasie. Cum enim quidpiam imaginatur: non dicimus, verè, certò, ac re ipsa hominem esse, sed apparere nobis & videri hominem. Quòd si idem essent phantasia & sensus: ubi maxime certus haberetur sensus, ibi potissimum phantasia esse diceretur; sensusque exquisitior, exquisitior item phantasia esset. At contra res habet. Non igitur idem sunt phantasia & sensus.

Itaque hoc argumentum duobus modis explicari potest. Aut ita, ut ex diuerso de sentia & phantasia loquendi modo desumptum sit. Aut ex alio potius atque alio operandi modo: quoniam sensus exactior est, & certior, quàm phantasia, sensilium notitiam habet. Non enim quemcumque sensum, sed obscurum & incertum, phantasiam seu apparentiam nominamus. Non quòd phantasia sit: sed quòd dum minus est certus, phantasie operandi modo similis sit. Et idèò verus quoque interdum, interdum falsus; quemadmodum phantasia est: cum alioqui exactus & exquisitus sensus semper habeat veritatem.

At enim dubitandi de his occasione Simplicius præbet: cum imaginabilia inquit entia, videlicet mathematica, sensilibus certiora esse. Verùm duobus modis respondendum est. Primum, entia mathematica non tam imaginabilia, quàm intellectilia esse. Ita passim ab Aristotele vocantur. Quoniam dum à sensilibus abstrahuntur ac per se considerantur, ea sanè intellectus operatio est. Atque à sensili quidem materia abstrahere dicitur mathematicus: at intellectilem considerare, dum quantitatem per se solam contemplatur. Deinde si mathematica entia propterea velis imaginabilia dicere, quòd in illis plurimum imaginatio valeat; dicas sanè. Modò intelligas duo. Alterum phantasie obiectum quòd ens imaginabile dicimus, ens sensile esse: & idèò inconstans ac mutabile. Hæc etiam circa entia mathematica versari, ut mathematica sunt & abstracta: sed ut sensilia sunt: hoc est circa quantitatem figuramque, ut in corpore quoque existentes. Abstracta concipit mens, phantasia hæc non imaginatur, sed ea sola, quæ ingrediuntur per sensus.

Alterum, non eandem esse rationem obiecti & facultatis, posseque horum alterum esse certum & exquisitum, alterum incertum & obscurum. Operatio sensus certissima est, exquisitissima est, semper vera est: sensilia entia incerta prorsus sunt, inconstans sunt, horisque omnibus mutantur; ut modò sint, modò non sint; hoc est modò verè sint, modò falsæ. Neque enim certitudo sensus ex obiecti natura & certitudine percipitur.

titur: sed ex operandi modo, quo circa presentia solui ac palam posita agit. Contra mathematica entia certiora quidem sunt: quod à materia, qua mutationem & inconstantiam sensibilibus adferrebat, abstracta sint. Phantasia vero circa sensilia eadem; quæ subministrantur sensui, obscurior est actio, quod circa absentia non circa presentia operetur. Et quidem circa præterita, sensuque ante percepta: quæ fortasse mutata sunt aliòque se habent modo, cum eorum imaginem phantasia format; quam haberent antea, cum primùm fuerunt sensibus hausta.

Porro totum hoc argumenti genus velut dubitationi oppositum fuisse ait Philoponus: qua fortasse quispiam obiecit, phantasia & sensum esse idem: quoniam exilem & obscurum sensum phantasia appellamus. Contraque potius argumentari Aristotelem: si ita esset non exilis modò, sed & exactus sensus phantasia diceretur: at non dicitur: non ergò idem sunt phantasia & sensus. Sanè quid Philopono contradicam non habeo: cum idem constet argumentum: perindeque conficiatur id quod quaeritur. Nullam tamen dubitationis significacionem video: quin potius hoc ipsum argumentum non minus quam cætera, absolute proponi. Nequæ rationi consentaneum videtur plurimum argumentorum seriem optimeque instructam aciem importuna dubitatione interturbare.

TEXTVS.

Kai ôpov ôn êlito pîn wêrtion q'êrtion êlitoi êq'eta.

Et (quod quidem prius dicebamus) clausis quoque oculis apparent visa.

COMMENTARIVS LV.

Extò & ultimo iam argumento phantasia à sensu distinguit. Quod cum Simplicius, Albertus, & S. Thomas de dormientibus exposuerunt; animaduertere poterant, ita diuersum à primo argumentum non fore. Quæ enim alia dormientibus apparent visa, quam quæ sese per somnium offerunt? opinor eos ad eam interpretationem uocibus illis (quod prius dicebamus) adductos fuisse. At quid opus erat tam paucis interpositis uerbis eandem argumentationem repetere? Deinde intelligere illos oportebat, hoc inter *ôpov pîn êlitoi* interesse; quod illud in somniis & inter dormiendum apparet, hoc autem uigilantium est uisum. Sic enim cum antea *êrtion*, nunquam *êrtion* dixerit Philoponus, nimirum intellexissent prius ex dormientibus, nunc ex uigilantibus argumentatum eum fuisse. Et uerbum *êlitoi*, quo hic utitur, non dormire, sed claudere est.

Sic igitur ratiocinatur. Clausis oculis non operatur sensus, neque nos quidquam sentimus: at operatur phantasia; immò tunc vel efficacissima est: & uisum quodpiam, imago, & simulachrum, aut coloris, aut cuiusuis rei, nobis apparet & uer-

atur in anima: phantasia igitur sensus non est. Sed quoniam persimile hoc argumentum est alteri illi, quod petebatur ex somniis, & eadem utriusque vis est: propterea etsi secus Philoponus, adiuncta fuerunt illa uerba (quod prius dicebamus) siquidem ex eo utrumque petitur, quod impedito sensu nec quidquam operante operatur phantasia. Quare argumentatio hæc quoque ex actione ducitur, non minus, quam antecedentes tres. Quod enim dixerunt aliqui, phantasia à sensu, qui est potestate, distingui, quod clausis oculis sensus potestate est, actiue operatur phantasia: minus accommodatè pronunciarunt. Verius dicitur, ex eo, quod cessante sensu adest phantasia operatio; aliaque est phantasia, alia sensus actio; facultatis utriusque diuersitatem colligi.

Caterum cur eum potius, qui oculos claudat, quam cæcum, accepit philosophus? Quoniam cæcum à natiuitate fortasse intellexisset: qui cum nunquam colores uiderit, ne imaginari quidem eos potest. Denique etsi Aristoteles non dicat (clausis oculis) sed solum (*êlitoi*), hoc est claudentibus) oculis tamen addidit: tum Themistia ac Philoponum sequutus: tum ut apertior oratio fieret, cum de oculis potissimum uideatur esse sermo. Fortasse etiam (claudentibus) solum dixit de sensibus omnibus loquens: quorum sensoria etsi claudantur, non minus tamen sensilia obiecta imaginatur phantasia, sonos, odores, &c.

TEXTVS.

Αν δ' ελεσθῆναι τὸν αἰσθητικὸν ἄνευ τῆς ὄψεως, οὐκ ἐπιτρέψω, ἢ τὸ ἔσθ' ἄρ' ἄνευ τῆς ὄψεως.

At uerò neque eorum, qui semper ueri, uillus fuerint, ut scientia, uel intellectus. Est enim & falsa phantasia.

COMMENTARIVS LVI.

Phantasia facultatem aut habitum esse, quo uerum uel falsum cognoscimus; ex ipsius notatione seu definitione principio accepit. Deinde partitione in sensum, opinionem, scientiam, & intellectum facta; eam demonstrauit sensum non esse. Iam non esse ullum ex habitibus reliquis, qui ad intellectum rationalem uel animam pertinent, probare aggreditur. Ii bipartiti sunt. Quidam sunt semper ueri, nunquam falsi; scientia & intellectus: Alij tum ueri tum falsi esse possunt; opinio uidelicet.

Ex hac igitur cognitionu harum & habituum natura sumpto argumento phantasia primùm ostendit nec scientiam esse nec intellectum. Simulque utrumque probat; quoniam hac ex parte communem habent & persimilem naturam, idemque argumentu. Utrumque enim habitus & cognitionis genus uerum semper est, nunquam falsum. Phantasia, hoc est phantasia cognitio rei que imago, quam phantasma dicimus, phantasia comprehensa, potest & uera esse & falsa; immò (ut dictum est, dum de sensu argumentamur) plerumque falsa. Nam & ea, quæ non sunt, apprehendit, & cum circa res præteritas & antea sensu perceptas uertitur; ex mutata sepe

Text.

157.

Phantasia nec scientia esse nec intellectum.

rellectum intellectus operationem. Posterior A
de singulis speciebus ac partibus generis; nec scientiam esse, nec intellectum, nec opinionem.

Phantasia opinionem non est
Nunc porro opinionem non esse, ita demonstrat. Opinioni semper adiuncta est fides eamque ubique comitatur; & quae habent opinionem, habent & fidem & assensum. Bestiis nupiam inest fides: neque igitur opinio inest. At in permultis est phantasia: phantasia igitur opinio non est. Vel aliter, ut Auerroës dedit: est non opinionem, sed existimationem; non *est*, sed *est*, is legat. Opinionem sequitur fides; si phantasia igitur est opinio, quidquid imaginatur quidpiam, fidem habet; bestiæ permultæ imaginantur, nec tamen habent fidem: phantasia igitur opinio non est. Poterat sane non in multis modo, sed & in omnibus dici phantasiam aliquam imperfectam & indeterminatam esse, ut antea definitum est. Sed maluit philosophus (permultis) dicere. Quod nec in omnibus manifesta sit & ex operatione conspicua; neque nunc de quauis, sed de sola perfecta sermo esset; quam formicis, apibus, ac vermibus inesse negauerat.

Sane hoc argumenti genere vltus quoque est, ubi phantasiam sensum non esse ostendit. Quippe tertium hoc erat demonstrationis argumentum. Sensus animalibus omnibus inest; phantasia non omnibus; phantasia igitur & sensus idem non sunt. Eodem nunc modo argumentatur. Phantasia aut omnibus, aut certe perfecta illa, de qua nunc agimus, compluribus inest animalibus; opinio proflus nulli: phantasia igitur opinio non est.

Opinionem verò bestiis non inesse, altera hac rationatione colligit. Opinionem fides comitatur semper; cum fieri nequeat, ut quis non assentiatur, quæ opinatur creditque ita esse: immò nil aliud dixeris esse opinari, quam credere ita esse cognitoque assentiri tanquam vero. Quam ob causam hæc non tam probatio, quam explicatio existimari potest. Aut si probatio sit, ea ex genere sumpta est. Nam fides seu assensus, quo credimus ita esse, aut necessaria ratione, aut probabili vel apparenti argumento, aut demum dicentis auctoritate, quæ fide digna sit, comparatur. Quare comparatione scientiæ, opinionis, & erroris, veluti genus est. Et ut hominem dicimus sequi animal, Quoniam ab homine ad animal argumentati licet; si homo est, ergo animal est: sic opinione dicitur sequi semper fides; quia si opinio est, colligi potest & fidem esse. Jam in irrationalibus bestiis fides non inest; quia hæc ratione, qua illæ carent, comparatur. Neque igitur inesse opinio potest. Quod si eas quoque dixeris habere fidem, quia persuadentur; ut cum mansuescunt & domantur, & equus domitoris flagellum timet eique pareat; & serpens adiuratus sese in igne conijcit. Respondet Philoponus persuasionem ratione constare, & ideo in irrationalibus bestiis nequaquam eam inesse. Sed serpentem quidem inuitum à dæmonibus adiurationis vim pertimescentibus in ignem conijci: reliqua verò assuetudine quadam, non persuasionem mansuescere ac domari. Sic equus flagellum sæpè expertus timet eique parere assuevit. Verum hoc sine phantasia, memoria, & experientia multa constare nequit. Et in præmio Metaph. Aristoteles ipse animalia quadam tradidit, quod phantasiam & memoriis viuunt, disciplinæ capaciora esse, quam cætera.

Digestio XIII. De fide & assensu quadam.

Scigitur habeto. Opinio duabus omnino quasi *Dua argumentationis partes.*
partibus constat; antecedenti superficialia solum & probabili cognitione, atque assensu ex illa genito, quem vocamus fidem. Sed quod est in opinione cognitio probabilis, hoc in scientia est argumentum necessarium, in errore apparet & speciosa ratio; ac demum in ea, quam speciali voce vocamus fidem, siue humanam, siue diuinam, dicentis auctoritas. Quibus omnibus, dum accedit assensus qui generaliori vocis vsu fides nunc ab Aristotele appellatur; hæc ipsæ cognitiones non minus, quam opinio, duplici item parte constant: altera veluti generali & cum cæteris communialtera vt specialiter & sibi propria. Antecedens cognitio, quæ vim habet causæ & argumenti, propria & specialis singularum est; consequens autem communis omnibus & veluti effectus: tamen vt ex tali antecedente causa deducitur, certæ speciei sit, causæ suæ per similes assensus inquam probabilis, certus, aut alterius modi.

Ex quo quatuor planè intelligentur. Primum, fidem duplici acceptione nominari. Generali vna, qua assensum omnem significat. Altera speciali, qua assensus ille intelligitur, qui dicentis auctoritate nititur. Vt enim rationi necessariæ aut probabili apparenti assentimur; quod verum aut concludant aut concludere videantur: ita dicenti quoque, qui fide dignus sit aut habeatur, planè acquiescimus; quod non nisi verum ab eo proponi nobis credamus: siue Deus ille sit, siue homo. Hinc duplex existit fides, diuina & humana. Hæc inferior scientia, quod facilis homo mentiri & errare, quam necessaria ratio, possit. Illa omni scientia melior ac certior: quod prima veritas Deus omni ratione creata, quantumuis necessaria, veracior sit ac certior.

Alterum, assensum, quem *Assensus intellectus actus.* Græci dicunt, non voluntatis, vt quibusdam visum est, sed intellectus actum esse. Tum quod vt assensus & approbatio effectus rationationis est & quasi partus, atque ad conclusionem pertinet: sic eius facultatis sit oportet, quæ ratiocinatur, quæque cum ratiocinando producit: Tum quod assentiri & approbare cognitione constat & iudicio, velut adhesio vero cognito, cognitio autem intellectus est, non voluntatis. Assensus item certus est aut probabilis. Et aut propter rationem, aut propter auctoritatem assentimur. Assentimur autem non bono, sed vero. Bonum enim amamus & desideramus, verum assensu approbamus, quem simpliciter veritatis sedem appellat.

Tertium duas ob causas verè fuisse dictum ab *Opinio vt fide sequatur.* Aristotele, opinionem sequi fidem. Tum natura, quia effectus est antecedentem consequens cognitionem & ex illa productus. Tum deductione: quia veluti genus est cum scientia, errore, & fide specialiter dicta commune, & si opinio est, verè sequitur assensum & fidem esse.

Quartum & vltimum, efficaci proflus argumento demonstratum hoc loco fuisse, opinionem in bestiis non esse. Quippe nec opinio est sine fide, nec in bestiis fides esse potest, in bestiis quibus non est ratio, qua fides tota nititur.

CCCC